

sus fuerit, rationem affert S. Clemens Romanus lib. 6 Constitut. c. 20, et Lactantius nuper, quia Apis bos coelebatur ab Aegyptiis, cuius effigies frequens erat apud ipsos.

Ecce dii tui, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Hæc eadem verba dixerunt Hebrei cum ab Aarone aureus conflatus est vitulus, Exod. 32, v. 8, quæ verba usurpavit Jeroboam ad antiquissima illa secula respectans, sicut ad alia tempora respectantes, qui à Davidicâ familiâ recessere, dixerunt: *Quæ vobis pars in David?* etc. Quo loco parvum videtur cautè se gessisse Jeroboam, cùm memoriam excitavit vituli, quem damnatum à Domino, et ejus causâ multa populum pertulisse infotunia, ignorare poterat nemo. Quare nisi cum pietate mentem quoque exuisserint, facile intellegere potuissent in vitulis nihil esse divinum. Conflavisse autem ex metallo, aut è ligno, saxo fixisse aliorum deorum simulacra, quæ populo religioso cultu veneranda proposuit, habemus ex lib. 2 Paral. cap. 11, v. 15: *Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, et dæmoniorum vitulorumque quos fecerat.* Quo artificio, cùm ex eo populo alii in alios gentium deos essent propensi, omnium animos diverso deorum cultu sibi devinxerint, et à veri Dei religione distraxit.

Vers. 29. — Posuitque unum in Bethel, et alterum in Dan (1). Noverat Jeroboamus modestum esse populo ter in anno ex universis Israelis finibus, quantumcumque longè à Jerusalem distarent, ad unum tantum locum religionis gratiâ convenire; à quâ molestiâ ut populum liberaret, rationem iniit, licet impianum, non tamen suis rationibus importunam. Designavit enim duo loca eo situ atque ordine inter alias imperii Israelitici regiones, ad quæ cum minori labore atque impendio accedere possent, quicumque diem et locum sacrum vellent obire. Alterum posuit in Dan, quæ est ad aquilonarem regionem terræ promissionis: alterum in Bethel, quæ ad meridionalem spectat plagam, et pertinet ad tribum Ephraim, aut certè tunc erat ab Ephraimitis occupata. Quæ sit Bethel, et quo prius nomine vocata, habes Genes. c. 21. Cur cùm vitulus, qui in Dan tam fuerit ab Hebreis cultus, neque in eo minus impietas, quâ in illo qui positus erat in Bethel, in hunc tamen quâ in illum

(1) Septuaginta in manuscripto Alexandrino, et S. Cyrillus in Osee, legunt Jeroboamum è vitulis hisce aureis alterum constituisse in Galgalis, alterum in Dan, pro Bethel et Dan. (Calmet.)

divinæ intorqueantur minæ, et sæpius et du-rius, diximus in nostris Commentariis ad locum nuper citatum ex Osea. Nova autem illa non tam religio, quâ infamia sic affect leviculum, facilèque commutabile Hebreorum ingenium, ut neque locorum intervalla, neque viarum asperitas retardârint hominum studia, quominus ab extremis meridianæ plagæ finibus ad Dan usque aquilonarem terminum terræ promissionis peregrinationem religionis ac voti causâ suscepserint. Illud enim videtur indicare illud vers. 30: *Et factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus adorandum vitulum usque in Dan,* quasi dicat: Ex longinquo loco, etiam ex Bethel. Solent enim homines, qui pii videri volunt, et religionis quam suscepserunt, amantes, dissita proœl fana, aut religionis gratiâ, aut novitatis studio, frequenter inviserent.

ET FECIT FANA IN EXCELSIS, ET SACERDOTES DE EXTREMIS POPULI, QUI NON ERANT DE FILIIS LEVI. Ne filii Israel, quos retinere secum voluit Je-roboamus, antiqua sacrificia desiderarent, quæ prius obiri audierant in tabernaculo, et proximè multò majora viderant in Salomonis templo, illorumque imaginem quamdam et umbram esse voluit in vitulorum idolorumque delubris, quæ construxit ad gentilium morem in lucis excelsisque locis. Elegit autem sacerdotes de extremis populi, id est, de facie plebis, cùm ex Levitico genere nemo vellet illud nefarium sacrificii genus obire, et alii qui aliquo essent in numero, vile putarent munus illud, et nomen sacerdotale, quod apud gentes videbant nullo esse, aut certè exiguo in pretio. Porrò qui ex genere erant sacerdotali, et assueti templo, nullo modo sunt passi aut adorari vitulos et alia dæmoniorum monstra, quæ à Jeroboamo fabricari noverant, aut carere templo, ubi honestum illi ministerium obibant, et unde ad domesticos sumptus abundè suppeditabat. Quare omnes excessere ex decem tribuum finibus, etiamsi cum civitatibus à Josue pro levitico ordine quandam assignatis suburbana prædia, et alia commoda à lege constituta relinquenter. Quare coactus est Jeroboamus ad alias tribus pro deligendo, constituendoque sacerdotio confugere, ex quibus cùm recusarent ali, qui medioieri etiam conditione censebantur, extimos elegit, id est, quibus erat in populo vilis et extrema conditio.

Quod autem sacerdotes à Jeroboamo, vitulorumque impia veneratione recesserint, et ad Roboam templique ministeria redierint,

constat ex lib. 2 Paral. c. 11, v. 15: *Sacerdotes autem et Levitæ, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum* (nempe Roboam) *relinquentes sub-urbana et possessiones suas, et transeuntes ad Judam et Jerusalem, eò quod abjecisset eos Jeroboam, et posteri ejus, ne sacerdotio Domini fungerentur.* Quæ verba sic accipio, licet aliter censeat Abulensis q. 19: *Quia sacerdotes vide- runt sibi per Jeroboamum non licere templum adire Jerosolymitanum, siue ante fecerant, quod non putabant, quando à Davidis familiâ defecerunt, quare statuerunt potius deserendum esse Jeroboamum et commoda quæ in civitatibus à Josue pro suâ familiâ destinatis ha- buerè parata, quâ templum et sacerdotiale ministerium, quod, cùm vitulis diisque aliis gentilicis præstare nollent, ex aliis tribibus Jeroboamus sacerdotes assumpsit.* Ita penè Lyra in hunc locum. Quod autem è Levitarum ordine vitulis, idolisque sacrificaverint, per- mittente utique, imò et jubente Jeroboamo, constat ex Ezechiele, c. 44, v. 10, ubi Levitæ, qui secuti sunt Jeroboamum et errores Is- rael, et idolis sacrificârunt, à nobilioribus sacrificiorum ministeriis arcentur: *Sed et Le- vitæ qui longè recesserunt à me in errore filiorum Israel, etc., pro eo quod ministraverunt illis in errore idolorum suorum, et facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis, idcirco levavi manum meam super eos.* Vide quæ nos in eum locum.

Cum autem viri Israelite, qui noverant ex uno tantum ordine Levitico sacerdotes sumi oportere, illud consilium tanquam novum et iniquum horrerent, ad illos orationem habuit artificiosam et callidam Jeroboamus, quâ sedavit animos, et illud non esse à pietate atque religione avitâ alienum persuasit. Quam Josephus aut veram attexuit, aut verisimile affinxit, ubi post alia dixit: *Nec deerunt sacerdotes et Levite ex vobis per me designati, ne quid Leviticam tribum, et Aaronis pro- geniem desideretis. Ergo quicumque ex vobis sacerdotium ambít, vitulum et aritem Deo mactet, quo ritu ferunt etiam primum sa- cerdotem Aarónem creatum esse. His verbis populum decepit auctor ei factus patriæ dese- rendæ religionis.* Hæc Josephus. (1)

(1) **Vers. 30.** — *FACTUM EST VERBUM HOC IN PECCATUM, in causam peccati; vel crimen fuit maximum coram Domino. Non immoritò repu- taverimus, primam hanc Jeroboami idolola- triam malorum omnium, quæ contigerunt Israeli, gravissimum fuisse, et exemplum ob appendices suas, omnium quotquot unquam*

S. S. X.

Vers. 32. — *CONSTITUITQUE DIEM SOLEMNEM IN MENSE OCTAVO, QUINTADECIMA DIE MENSIS, IN SIMILITUDINEM SOLEMNITATIS, QUÆ CELEBRABATUR IN JUDA.* Sieut apud Hebræos sive ex Dei præ-

fuerint, perniciosissimum. Quædam enim mala sunt, quorum perniciosi effectus vel intra certos fines continentur, vel corrigitur; sed idolatria Jeroboami non alium habuit exitum, quâ dispersionem et captivitatem decem tribuum; quin et merito affirmaverimus, crimen illud secutum illos esse in exilium, ac longam illam malorum seriem, quâ hodiè usque onerant, inexuisse. Vituli Jeroboami captivi cum cultoribus suis adducti sunt; nec tamen ideò ad puram et sinceram legum Domini obedientiam transire Israel voluit. Illorum pars in paganorum superstitiones degeneravit; pars verò per varia temporum intervalla repetens Judæam, conjunxit se Judæ, et in unum cum illo populum coivit. Qui illis successerunt, sedesque illorum occupârunt, Samari- tanî, originem à Jacobo alienam ducebant: gens erant à cultu et feedere Domini abhorrens.

Vers. 31. — *FECIT FANA IN EXCELSIS.* Audacter loca religiosa multiplicavit, nihil minus curans, quâm ut cultum populi ad unicum Numen cogeret; quin et utile futurum id censuit, ut oblivionem induceret Israelitis avitæ religionis, animosque ab Hierosolymâ et tem- ple Domini alienaret. Animadversum est in versiculo sequenti, in ipsâ Bethel constituisse edita hæc loca, à populo frequentanda, religione utique inconditâ et superstitionis, quanquam in eadē urbe vitulus aureus jam ad cultum stebat. Hebreus fert tantum: *Fecit domum, vel templum excelsorum;* quod com- modè accipi posset de templo in Bethel exigitato, in sedem vitulorum aureorum. Id autem innuit v. 32, iis verbis: *Constituit in Bethel sacerdotes excelsorum quæ fecerat.* Sed legimus capite sequenti, v. 33, stetisse templa in editis locis sparsim per urbes regni Samariæ; quæ nos ad priorem sententiam revocant.

ET SACERDOTES DE EXTREMIS POPULI, QUI NON ERANT DE FILIIS LEVI. Sacerdotes et Levitæ, qui fortè versabantur in tribibus Jeroboamo subditis, coacti sunt migrare in ditionem Ro- boami; impediabant enim à rege Israelis, ne ministerio sacerdotali Domino fungerentur: *Eò quod abjecisset eos Jeroboam et posteri ejus, ne sacerdotio Domini fungerentur.* Constat ta- men, e Levitis quosdam perseverasse in regno Jeroboami, atque in apostasiâ turpissimè declinasse: *Sed et Levitæ, qui recesserunt à me in errore filiorum Israel, et erraverunt à me post idola sua.*

Reddi posset Hebreus: *Elegit indiscrimina- tim è populo sacerdotes, nihil curans utrum ge- nus è Levi referrent.* Ad litteram: *Accipit sa- cerdotes de extremis populi.* Sæpius alibi animadvertisimus phrasim originalem designare, ex quorundam sententiâ, principes et optimates populi; ex aliis verò, faciem populi, atque homines è vulgo. Denique juxta alios valet: Assumpsit indiscriminatim offerentes sese quoscumque; cui postremæ interpretationi favent quæ sequuntur: *Quicumque volebat, implebat manum suam, atque se in sacerdotium ingerebat.* (Calmet.)

scripto, sive ex religiosa consuetudine ac voto, stata erant, atque legitima tempora, in quibus praecipue quædam solemnitates celebrabantur majori quædam religione, sic etiam in suâ novâ atque fucatâ religione, Jeroboamus certos voluit atque solemnes dies majori quædam esse celebritate venerandos, in quibus octavi mensis decimam quintam constituit diem. Non video quodnam festum Hebreorum in octavi mensis decimam quintam diem incurrat, ut eo die ad Hebreorum similitudinem in suâ hæresi Jeroboamus aliquam solemniorem celebratatem institui voluerit. Video tamen in Hebreorum kalendario quosdam esse dies, in quibus dedications celebrabantur tabernaculi Moysis, templi Salomonis, et purgati et renovati templi à Machabæis, quæ dicuntur *encænia*; atque idem suspicor constituisse Jeroboamum ad decimum quintum diem mensis octavi dedicare aureos vitulos, et illorum altaria, ita ut quotannis dies ille rediret festivus et sacer: aut fortassis aliud festum instituit, quale obiri soleret in Jerusalem, ut Azymorum, Tabernaculorum, Pentecostes. Ut libet, accipe.

ET ASCENDENS ALTARE SIMILITER FECIT IN BE-

ET SACERDOTES DE EXTREMIS POPULI; q. d.: Non ex tribu Levi, ut statuerat Deus, sed ex quilibet alia vilissimos homines constitut sacerdotes suorum vitulorum et idolorum. Ita profanantes religionem, profanant cætera omnia. Sed id decebat vilissimos vitulos, ut vilissimos haberet sacerdotes. Fuit ergo hoc justum Dei iudicium. Sic et hæretici hoc aëo ministros suæ hæresis insipientis constituerunt cerdones, sutores, apostatas, et quisquilias hominum. Dignum tali patellâ operculum.

Sanè Aristot., ex mero lumine naturæ et philosophiae l. 7 Politic., c. 9, præcipit, ut homines viles non constituantur sacerdotes, propter honorem qui religiosi et majestati divinæ debetur.

Vide ergo unum eumdemque utrobique spiritum diaboli, qui quia contemptor sacrorum, ea omnia ad vilitatem traducit, ut irrideat et omnibus irridenda proponat, utque eos sensim deducat ad atheismum, ut nihil credant, negetque animæ immortalitatem, gehennam et omne numen, ut hoc aëo multos hæreticos fieri videmus atheos, ut sapienter advertit et annotavit Card. Hosius.

Audi Tertull. lib. de Prescript. adversus hæreticos, c. 41: Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes: nunc neophyti collocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloriâ eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodiè episcopus, cras alias; hodiè diaconus, qui cras lector; hodiè presbyter, qui cras laicus: nam et laicis sacerdotalia munera injungunt. (Corn. à Lap.)

THEL, UT IMMOLARET VITULIS, QUOS FABRICATUS FUERAT. Licet prius aureos conflaret vitulos Jeroboamus, non tamen illis videtur primum altaria construisse, sed aliis idolis, quæ in lucis, et excelsis collocauit. Ibi sacerdotes quoque designati fuerant ex populi face, qui sanè videntur fuisse non pauci, quando ex illo numero selegit aliquos, qui sacris præcessent in Bethel, augustissimo omnium atque notissimo sacrario, pro vitulorum religioso cultu constitutis. Id enim, ut opinor, valet illud, quod additur proximè: *Constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum quæ fecerat.*

VERS. 33. — ET ASCENDIT SUPER ALTARE, QUOD EXTRUXERAT IN BETHEL (1). Cùm novis illis sacerdis conciliare vellet auctoritatem Jeroboamus, ipse voluit esse illorum sacrificiorum antistes, ut regium nomen cum sacerdotali sociaret. Illum autem decimum quintum diem de corde suo finxisse dicitur, quia neque lex erat ulla, quæ diem illum aut aliquâ religione sanctum ostenderet, aut aliquâ superiorum temporum memoriâ consignaret. Sed suo arbitratu diem illum ex omnibus elegit, in quo impiaæ aræ victimarum sanguine redundarent, et vitulorum nomen cum symphoniam et plausu clarius resonaret.

Licet ad extremum addere ex lib. 2 Paralip. cap. 11, quod ad hanc historiam pertinet, de vitulorum sacris et novâ religione in Israëticam gentem introductâ; quam licet amplexati fuerint plurimi, fuerunt tamen non pauci qui illam detestati sunt. De sacerdotibus et penè toto ordine Levitico diximus paulò ante ex hoc ipso cap. 11, v. 13; de aliis agitur v. 16, qui eo numero relictis suis possessionibus amore patriæ religionis ad Roboamum sese applicerunt, ut maximoperè auxerint illius vires: *Sed et de cunctis tribibus Israel, quicumque dederant cor suum, ut quererent Dominum Deum Israel, venerunt in Jerusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum, et roboraverunt regnum Juda et confirmaverunt Roboam.* Sed non diu perstiterunt in

(1) ET ASCENDIT SUPER ALTARE UT ADOLERET INCENSUM. Vide hic ut Jeroboam ex uno peccato schismatis, labatur in profundum scelerum. Arrogat enim hic sibi non tantum regnum, sed et pontificatum, seseque facit pontificem et caput Ecclesiæ. Nam ut pontifex, adolet incensum, festa instituit, sacerdotes consecrata, fana ædificat. Ita Josephus. Quare in Jeroboam recte torqueas illud Senesii episcopi epist. 101 ad Pylämenem: *Aliâ ratione in foro verè ditescere non licet, nisi cuncta et divina et humana jura confundas, et pro ingenuo veterator evadas.* (Corn. à Lap.)

suscepto consilio, ac fide: nam tertio anno postquam ad sacra paterna rediissent, ipsi quoque à Davidis viâ et avitâ religione defecrunt, ut clarius constat capite sequenti, ubi

CAPUT XIII.

1. Et ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare et thus jacente;

2. Et exclamavit contra altare in sermone Domini, et ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domini David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succidunt, et ossa hominum super te incendet.

3. Deditque in illâ die signum, dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, et effundetur cinis qui in eo est.

4. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus quam extenderat contra eum; nec valuit retrahere eam ad se

5. Altare quoque scissum est, et effusus est cinis de altari, juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini.

6. Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat.

7. Locutus est autem rex ad virum Dei: Veni tecum domum ut prandeas, et dabo tibi munera.

8. Responditque vir Dei ad regem: Si dederis mihi medianam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto;

9. Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipiens: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam quâ venisti.

10. Abiit ergo per aliam viam, et non est reversus per iter quo venerat in Bethel.

11. Prophetæ autem quidam senex habitarbat in Bethel; ad quem venerunt filii sui, et narraverunt ei omnia opera quæ

tam Roboamus quâ totus Israel defecisse dicuntur à divinâ lege. Alia sunt in hoc capite de Roboamo, quæ suis locis commodius expemonus.

CHAPITRE XIII.

1. En même temps un homme de Dieu vint de Juda à Béthel, par l'ordre du Seigneur, lorsque Jéroboam était près de l'autel et qu'il y brûlait de l'encens;

2. Et il s'écria contre l'autel, en parlant ainsi de la part du Seigneur: Autel, autel, voici ce que dit le Seigneur: Il naîtra dans la maison de David un fils qui s'appellera Josias, et il imolera sur toi les prêtres des hauts lieux qui t'encensent maintenant, et brûlera sur toi les os des hommes.

3. Et en même temps, pour preuve de ce qu'il prédisait, il ajouta: Voici ce qui sera connaitre que le Seigneur a parlé: L'autel va se rompre, et la cendre qui est dessus se répandra par terre.

4. Le roi, ayant entendu ces paroles que l'homme de Dieu avait prononcées à haute voix contre l'autel qui était à Béthel, étendit sa main de dessus l'autel, et dit: Qu'on l'arrête. Et en même temps la main qu'il avait étendue contre le prophète se sécha, et il ne put plus la retirer à lui.

5. L'autel aussitôt se rompit en deux, et la cendre qui était dessus se répandit, selon le miracle que l'homme de Dieu avait prédit par le commandement du Seigneur.

6. Alors le roi dit à l'homme de Dieu: Offrez vos prières au Seigneur votre Dieu, et priez-le pour moi afin qu'il me rende l'usage de ma main. Et l'homme de Dieu pria le Seigneur, et le roi retira sa main à lui, et elle devint comme elle était auparavant.

7. Le roi dit encore à l'homme de Dieu: Venez dîner avec moi dans ma maison, et je vous ferai des présents.

8. L'homme de Dieu dit au roi: Quand vous me donneriez la moitié de votre maison, je n'irai point avec vous, et je ne mangerai point de pain, ni ne boirai d'eau en ce lieu-ci;

9. Car le Seigneur, en me donnant cet ordre, m'a fait ce commandement: Vous ne mangerez point là de pain, et n'y boirez point d'eau, et vous ne vous en retourerez point par le même chemin que vous êtes venu.

10. Il s'en alla donc par un autre chemin, et il ne retourna pas par le même qu'il avait pris pour venir à Béthel.

11. Or il y avait un vieux prophète qui de-